



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Vitae Sanctorvm**

**Lippeloo, Zacharias**

**Coloniae Agrippinæ, 1603**

Vita S. Gerardi Abbatis: Ex Ea quam Gregorius Episcopus Tarracinensis, ad Gunterum Broniensem Abbatem conscripsit. Obijt anno Domini 958.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-42787**

Christianæ militiæ monachus nomen dederat, socijs suis eam visionem aperuit; inuenta- que eorum corpora digno martyribus honore sepeliri curavit. Quo comperto, gloriosus Dux Francorum Pipinus, adducta ad se sanctorum corpora, splendide admodum honorificeque in Ecclesia Coloniensi condidit. Postremò S. Anno secundus Coloniensis Archiepiscopus, anno Dominicæ incarnationis millesimo septuagesimo quarto, quinto Nonas Octobris, ex oculis propter præcedentium ignorantiam admodum vilibus (vt ipse vir sanctus consignatis manu propria literis testatum reliquit) transtulit.

*Ea Ecclesia hodiè S. Cuniberti vocatur. S. Annonis vitam reperiet Liber 4. Decemb.*

*Vide Tom. 10. Annal. C. Baron. & eius.*

*In Martyr. Rom. Notat. \*al. Guntherum & Gontir.*

*\* Bromiensem.*

*3. Octob. Patria & parces eius.*

*Spiritalis profectum eius.*

*Asciscitur in familiam Comitis Berengarij.*

**VITA S. GERARDI ABBATIS: EX EA**  
quam Gregorius Episcopus Tarracinenfis, ad  
\*Gunterum\* Broniensem Abbatem conscripsit.  
Obijt anno Domini 958.

**V**IR Domini Gerardus claris quidè natalibus illustris, sed morum vitæque integritate illustrior apud Stallerelbas Lomacésis territorij vicum, patre AErantio ex profapia Haganonis Aufrasiurum Ducis, matre Electrude, quæ Stephani Tungrorum Episcopi germana fuisse memoratur, procreatus est. Is à teneris vnguiculis pietatis studio mirè deditus, prauorum deuitans consortia, animum assiduis precibus, monitisq; salutaribus erudiebat; quæ, sacrarum ædium terens limina, illic à diuini verbi præconibus hauriebat.

Ea tempestate Comes Berengarius Namurcensis castri dominus hunc iuuenem in suã asciscuit familiã: eiusque opera magno rei familiaris

*Eximia vir-  
tutes S. Ger-  
ardi.*

liaris cōmodo utebatur. Præstabat enim Ger-  
ardus non militia tantum sed & consilio: prorsus  
ut ea propter præcipuum apud Comitem &  
amicitiæ & familiaritatis locum obtineret.  
Eximia oris facundia, singularis morum comi-  
tas, perspicax animi prudentia, mira in collo-  
quijs suauitas, cæteræque haud vulgares cor-  
poris animique dotes eum cunctis gratū red-  
debant: Comiti vero adeo charum ut ei præ cæ-

*Quanti fece-  
rit eum Co-  
mes Beren-  
garus.*

teris difficiliora quæque magisque arcana cō-  
mitteret. Lætatur tanti viri conuictu & con-  
tubernio; raroque eum à sua præsentia abesse  
patiebatur. Hinc cum die quodam pro nobi-  
lium consuetudine cum suis venatum iret, è re  
sua arbitratus est fore, si hunc quoque sanctum  
virum secum educeret. Post eum igitur venan-  
di laborem, cum iam prandendi hora Comitè  
cum sua familia domum inuitaret, Gerardus  
spiritualia corporalibus anteponebat, propin-  
quam Bronij adijt ecclesiam; quæ cum quibus-  
dam prædijs adiacentibus ad ipsum successio-  
ne hæreditaria deuoluta erat. Cum hic esset

*Cælitus do-  
cetur orato-  
rium con-  
struere.*

vir Dei cœpit diuinis vacare contemplationi-  
bus, donec accersitus veniret sacerdos, qui di-  
uina perageret mysteria. Dum verò longas ne-  
ctit moras sacerdos, diuinitus sopore iam eum  
irruente, didicit in visione à B. Petro Apосто-  
lo locum formamque oratorij, quod postea ex-  
dificauit.

*Quibus B. An-  
tistitis vi: à  
reperiet le-  
gor 15. No-  
uembrijs.*

Eo verò oratorio constructo, & copiosis ex-  
pædiorum suorum redditibus ditato, multum  
cogitare cœpit qua ratione beati Eugenij E-  
piscopi & Martyris sacro corpore potiri pos-  
set: quod Apostolorum princeps ei in visione

pro-

promiserat. In ea cogitatione crebro illo ver-  
 fante, Comes Berengarius, oblata occasione, *Mittitur le-*  
 legatos in Gallias ad Comitem Robertum, *gatum in*  
 quem postea ad regni Fracorum scepra perue- *Franciam*  
 nisse constat, mittere decreuit. Itaque accito ad *Gerardum.*  
 se Gerardo eam legatione obeundam commi-  
 sit: qui nihil cunctatus paucos intra dies Lu-  
 retiam venit. Cumque vergete ad occasum so-  
 le, tardior hora ulterius progredi non sineret,  
 dato quibusdam suis inquirendi opportunum  
 hospicium negotio, ipse cum paucis, beatorum *Visitat S.*  
 Dionysij & sociorum eius, optata imploraturus *Dionysium*  
 patrocinia, ecclesiam petijt. Ibi cum inter alia *& socios*  
 sanctorum suffragia, Eugenij quoque comemo- *martyres.*  
 ratione fieri audiret, protinus optatissimi mar-  
 tyris mentione exhilaratus absolutis demum  
 vespertinis precibus, quosdam ex primis fratri-  
 bus seorsum abducit, eosque peramanter, ut si-  
 bi sancti istius martyris concederent reliquias,  
 rogauit. At illi postulatam hoc admirantes pri-  
 mo renunt fieri posse, ut talis ac tanti martyris  
 infinitis miraculorum signis per Gallias celebra- *Innumera S.*  
 rimi corpus transferatur. Sed cum inter verba *Eugenij in*  
 vltro citroque instituta eximia viri prudentia *Gallijs mira-*  
 atque animi pietatem magis magisque cognos- *cula.*  
 cerent, tandem spem faciunt, ut votis fortassis *Suadetur ei*  
 suis potiri posset, si hoc eodem in loco caelestis *ut mon-*  
 militiae stipendia facere vellet. *chus fiat.*

Hoc a fratribus illis percepto consilio, coepit *Varij in ani-*  
 aestuare animo, & nunc quidem diuino amore *mo Gerardi*  
 inflamatus ad castra spiritualis militiae aspira- *confictus de*  
 re, nunc blandientis mundi delicijs atque diui- *eligenao v-*  
 tijs ab ea mete auocari. Cumque hisce cogitatio- *te genere.*  
 nibus secum luctans, nunc in hanc nunc rursus in  
 D illam

illā flesteretur sententiam, tādē sub ipsa nocte manante ab oculis lachrymarum imbre, in has aduersum se prorupit voces: Quid, agimus, anima? quid tāto amore vanitatem sectamur? Ecquid tādē mundi huius gloria, quid pompa, quid fastus emolumentum habent? An nō friuola hęc, & caduca omnia, instar fumi & vmbre citō euanescent? An non hęc eadē infinitis vndiq; periculis circūuenta, dominos suos immani seruitutis iugo premunt? Quid igitur salutaris, quid prudentius fieri potest, quā spretis labentibus & caducis cęlestia atque æterna sectari? Hęc aliaque flens lachrymansq; athleta Dei dum secum tractat, sol, rubescere cęlo terris lucem refundēs, cępto eum cogit pergere itinere. Rebus autem ex sententia confectis nō multō pōst ad Comitē regressus est. Cui postquā cuncta ordine exposuit, totus cęlestis vitę desiderio æstuans, cōscientiæ suę arcana pariter aperuit. Tū verō Comes subortis lachrymis, & crebro singultu respondens: Itane, inquit, amicorum amicissime, amicum profusus vnanimem deserturus es? Ecquid verō tibi in me displicuit? In te eheu, hactenus securē recumbebam; in mutua inter nos concordia atq; animorum conspiratione acquiescebā. Ideoq; sanē nisi diuinitus isthuc fieri existimārē; quis te à meo posset complexu diuellere? Ast nunc cum tibi cęlitus hunc animum adspirari haud dubitem, fiat voluntas Dei.

*Intentionem  
suam mani-  
festat Comiti.*

*Consentit tādē  
Comes.*

Talia effatus Comes fraternis oscula labris impressit; lachrymisque faciem irrigans: permisit abire gemētē. Itaque vir Dei indē recedēs, restā ad Tūgrensem Episcopū Stephanū tendit,

tendit, vt eius munitus benedictione paratior ad pugnam procederet. Eius igitur Antistitis oratione armatus, cum spiritali gaudio ad beati Dionysij monasterium concessit, & capite barbaque rasis monasticum habitum induit; seseque totum in disciplinam caelestem tradidit: ei que monasterio, quae iuris ipsius essent in Lotaringia, donauit. Et primo quidem, ne ab inerti ocio periculum immineret, statim, literarum plane rudis, ad prima elementa instar quinquennis pueri ediscenda se contulit; ac tandem paucos in tres dies non ea solum, sed & totum psalterium memoriae commendauit. Inde pari animi virtute atque alacritate ad sacros codices gradum faciens, diuinis praclare est eruditus dogmatibus: ac tandem, nono a conuersione sua anno, post alios ordines iam ante susceptos sacerdotio initiatus.

*Relictis omnibus Gerardus fit monachus Parisijs.*

*Discit prima literarum elementa pro ne hae atatis vir Gerardus.*  
*Initiatur sacerdotio.*

Interea vir sanctus cunctis virtutibus egregie ornatus, opportunum petendi sentiens adesse tempus, & beati Eugenij Martyris sacras impetrandi reliquias, conuocatis in unum fratribus, pia & luculenta oratione visionis suo seriem exposuit: neque difficile a fratribus suis, quod petebat, obtinuit. Eo igitur potitus thesauro, incredibili delibuit gaudio, ad Broniensem Ecclesiam, assumptis secum quibusdam professionis suae monachis, cum eo properauit. Et quidem B. Martyr, vt quondam in Gallia, ita etiam Bronij miraculorum illustribus signis coruscavit atque virtutibus. Porro vir Dei Gerardus de bono ad meliora contendens, & Broniensem Ecclesiam in cunctis prouehere volens, remoto ea ex Cle-

*Obtinet reliquias S. Eugenij, & vadit ad Broniensem Ecclesiam.*  
*B. Eugenius Bronij miraculis celebris.*

*Abdicato  
Præfecti of-  
ficio abdit se  
in cellam.*

ricorum instituto, quod initio ipse eò in-  
troduserat, monasticum illi substituit. Cum-  
que aliquandiu strenuissimi præfecti munus in  
eò monasterio esset executus, nec ferre posset  
eò cõfluentis populi strepitũ, electis Prioribus  
ipse in remotiorem cellulam diuinæ contem-  
plationi perpetuò vacaturus, sese recepit.

*Ingens abu-  
sus SS. reli-  
quiarum.*

Ea tempestate Vrsidongi Cellenses Clerici  
(quo in loco S. Gisteni corpus quiescebat) re-  
gularis disciplinæ prorsus ignari, partim rei fa-  
miliaris inopia cõpulsis, partim auaritiæ mor-  
bo incitati, sacra beati confessoris ossa suis hu-  
meris per vicos & plateas cãtãdo quæstus cau-  
sa solebat circumferre. Qua iniuria sanctus ius-  
te offensus, Gisleberto Lotaringiæ Duci secũ-  
dum quietẽ apparuit, monuitq; vt eas cõtume-  
lias quotidianas amoueri, & Gerardũ idoneũ  
monasterij sui pastorem substitui curaret. Dux  
ea visione incitatus Tietdonem Cameracensem  
Episcopum & Raginerum Hainoensem Comi-  
tẽ accersijt, eosq; ad inquirendũ Gerardum &  
curã Ecclesiæ istius præficiendũ mittit. Abeũt  
illi & virũ Dei in suo latitantẽ ergastulo, pro-  
dire, & Vrsidongensis monasterij curã suscipere  
ex Ducis legatione rogãt. Is primò modis om-  
nibus reluctãs, cũ illud onus declinare non  
posset, admissã Abbatis dignitate, Vrsidungum  
cum eis profectus est: & quia iam antea teter  
malæ famæ Clericorũ istorum odor ad ipsum  
perlatus erat protinũs omnibus clericis ab il-  
la ecclesia exclusis, in eorũ locum dignã Deo  
monachorum sodalitatẽ substituit: & beati  
Gisteni reliquias, ex Melbodio, quo furtim  
perlatae erant, Vrsidungum reduxit.

*Monasticam  
disciplinam  
introducũt  
Vrsidungum.*

Ille

Ille ergo beatus pater pastorali hac cura suscepta, monastica apprimè edoctus disciplinā, omniū sibi ingenia, moresq; , mira quadā charitate deuinciebat, malens subditos amore ducere, quā timore cōpellere. Missarū ferè quotidie celebrans mysteria, die quodam mulier ex vico Buxuto, qui Cellæ propinquus est, iam pridem luminibus orbata, aqua illa qua vir sanctus manus in sacrificio abluerat, cæcas humectans pupillas lumen recepit: quod tamen vir diuinus non suis meritis, sed fidei mulieris & sacramenti virtuti tribuebat. Marchio quoque Arnulphus, qui per id tempus Flandriæ dominabatur, acerbissimis calculi laborans doloribus, cum nulla medicorum industria curari posset, ad beati viri confugiens auxiliū, tali remedio sanitatem ab eo percepit. Sua debat vir sanctus vt ex diuitijs suis, quibus abundabat, aliquid pauperibus erogaret, ac tri-duano pariter ieiunio Deum sibi propitiū redderet. Sequutus ille prompto animo salutare hoc consilium, cum expleto ieiunio, ad Christi percipienda mysteria accederet, atque à viro Dei, peractō sacrificio, cælestem panem perciperet, protinūs reddendi lotij appetitu correptus, vna cum Vrina calculum reiecit, pristinamque sanitatem mirabiliter recuperavit. Eo tam insperato potitus beneficio Arnulphus, ingens auri & argenti pondus viro sancto obrulit, quod ille præcisè recusauit, asserens monachum peculium sibi in terris vendicantem, omnis religionis planè expertem esse. Attamen terribilibus Comitibus obstrictus sacramentis, tandem omnium facultatum

*Cæca curatur.*

*Arnulphus  
Marchio  
Flandriæ  
curatur à  
calculo.*

*En studium  
paupertatis  
in S. Gerardo  
Abbate.*



eius decimas pauperibus distribuendas suscipere debuit, quas pro sua prudentia pie ac religiosè dispensauit. Nec hoc tamen contentus Comes, beati viri insigni probitate & religione permotus, Abbatiarum omnium, quæ eius ditio-  
ne cõtinebantur, ei procuracionem commisit.

*Blandiniense  
monasterium  
ab impijs oc-  
cupatum re-  
stituit.*

Hac ille sanctus pater auctoritate fretus, mox creditas sibi oues inuisens, antè omnia Blandiniense monasterium, omni nõ solùm monastica religione nudatum, sed & à sceleratissimis quibusdã clericis, inani nobilitatis titulo inflatis, occupatum, breui in pristinum sanctitatis statum restituit: ac presentis mortis contempto periculo, quam nefandi illi Clerici strictis mucronibus ei machinabatur, omnibus pietatis & iustitiæ ornamentiis decorauit. Nec minori cum laude S. Bertini aliquãdiu præfuit monasterio, alijsq; numero octodecim; quæ omnia peruigili cura administrauit. Tandè diuini spiritus reuelatione de obitu suo die edoctus, sciens imminere diem illum, quo esset redditurus rationem villicationis suæ, in singulis cœnobijs sub cura eius degentibus, pastores singulos suo loco idoneos præfecit, sicq; pauperum spiritu ditioribus monasterijs, quæ gubernarat, relictis, ad amicam Broniensis monasterij paupertatem se recepit. Vbi cum omnia mira solertia disposuisset, & fratrum pectora gemina charitatis limpidissimo fonte vbertim irrigasset, iam prouectiori ætate prægrauatus, exitum suum Corporis & sanguinis Domini perceptione muniens, tandem è corpore ad immortalem vitam transmigravit.

*Omnium mo-  
nasteriorum  
cura abdica-  
ta, Bronium  
repetit.*

*Migrat ad  
Dominum.*